

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Fvndamenta Lingvae Hebraeae Svis Vndiqve Rationibvs Solide Firmata Sev Grammatica Hebraea Philosophica

Koch, Friedrich Christian

Ienae, MDCCXXX

VD18 1213113X

Praeliminaria, In Qvibvs Generalia, Qvae Ad Ideam Lingvae Et
Grammatices, Inprimis Hebraeae Spectant, Proponvntvr.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16954



כְּהִנּוּחַ

PRAELIMINARIA,

IN QVIBVS

GENERALIA, QVAE AD IDEAM
LINGVAE ET GRAMMATICES, INPRI-
MIS HEBRAEAE SPECTANT,
PROPONVNTVR.

§. I.

Intuemur alterum, vt ea nobis impri-
mamus, quae oculos feriunt, id ta-
men vix assequi possumus, vt sine
interueniente alia re mentem alterius co-
gnoscamus: quapropter *signis* omnino
opus fuit, quibus nos cum aliis cogitatio-
nes communicare, et ex quibus alii nostram
colligere mentem potuerunt.

Signa
cogitationum
necessaria.

SCHOL. Paucis vt multa dicamus: Omnes
animae mutationes, adeoque et cogitatio-
nes, vbi eas alii, praeter *καρδιολογώσιν*
in hocce rerum statu indagare debent, cer-
tis stipatae rebus externis vt sint, necesse
est, ex quibus demum colligi poterit, quae
interne resideant cogitationes. Huc spectat
illud antiquiorum apopthegma: *scire tuum*
nihil est, nisi te scire hoc sciat alter. Ne
Kochii Gram. Hebr. A inte-

vberior
declaratio.

monitum

interim dedigneris B. L. quaedam Symbolicae, quae vocatur, cognitionis, conciso exhibita ordine hic mecum repetere; quum minutiora, quae alii non curant, enucleare, haut vltimum erit in accuratiori linguae consideratione negotium.

§. 2.

Qualia signa
eligenda
et
quaenam
perfectionis
illorum
mensura.

Arctissimum inter animam et corpus intercedit vinculum: non igitur proximiori via vti potuit sollicitus mortalium, de inuestigandis cogitationum signis, animus, ea, qua *corporis mutationes selegit mentis suae interpretes*; licet sapientiae hominum relinquendum fuerit, quasnam corporis mutationes assumerent: qua dein ratione ipsa formarent signa, ipsisque *perfectionem tribuerent, ex indole idearum, et sine horum signorum aestimandam.*

§. 3.

Varia
sed pari
minus
perfectione
sunt possibilis.

Variae sunt corporis partes, quibus pro artificiosa cuiuslibet structura varias producere motus possumus. Hinc *varia omnino possibilis sunt signa* (§. 1. 2.), quorum tamen *unum altero praestantius*, prout ratio perfectionis in vno magis conspicua, quam in altero.

SCHOL. Modum colloquendi per manum seu digitos in Turcia ab elinguibus inuentum, et magnatibus admodum familiarem, teste illustri Heineccio I. N. G. L. VII. §. 195. p. 154., refert Ricaut Tableau de l'Empire Ottomanique C. VII. p. 12. De manuloquio,

quo et pediloquio dissertationes prostant
Molleri Altorfensis.

§. 4.

Quo maiori compendio operae, temporis, pretii, quo accuratius a quibuslibet, omni tempore, idea obiecti, per varia, quae continet seu distincte ex aliqua re colligi poterit, eo praestantius est signum ideae (per def. signi et §. 2.). Hinc, ubi mortales talia constituerint signa, quae ipsam obiecti conditionem exhibeant, qualia vocantur *essentialia*, tunc *perfectiora essent nulla*, cuncta tunc, quae hominum sagacitas scrutari potuisset, in hisce conspirarent.

Criteria
perfectorum
signorum
in
signis essen-
tialibus
conspicua

§. 5.

Omnes, qui accuratiori contemplationi signa cogitationum subiecerunt, artem illam combinatoriam, ipsa Algebra uniuersaliorem, agnoscunt; sed parum excultam: ut si ab Algebra recedamus, *accommodatiora nulla dentur illis, quae desumuntur ab infinitis fere mutationibus, per oris sonos producendis*, qui nostram nunc merentur attentionem.

Quaenam
praeter illa
essentialia sunt
praestantis-
sima.

§. 6.

Talem oris sonum, nuncupamus *Vocem*.

Quid vox?

SCHOL. Non quemlibet oris sonum vocem animantis constituere, in Logices praecipis docetur. Quomodo autem sonus oriatur, et quicquid ad huius doctrinam ex-

monitum.

plicandam, Physici addunt; id mearum hoc loco non esse partium, neminem fugiet, qui haecce in tironum gratiam ordinis ergo tantum praemitti norunt, quibus ea, quae, duce experientia, obseruamus, sufficere queunt.

§. 7.

Quid terminus?

Hinc per voces interpretamur mentem, ex illis cognosci possunt cogitationes (§. 5.), adeoque sunt signa idearum. Voces, quatenus signa idearum sunt, appellantur *termini*.

§. 8.

eius partes.

In quolibet termino *duo* possunt discerni, 1) *sonus oris*. 2) *idea* per illum significata, haec audit *significatus*. *Terminus* igitur *requirit vocem, eiusque significatum*.

§. 9.

Quid sonus, ore formatus requirat?

Sonus, ore formatus, qui vocem constituit, *certarum oris partium actionem requirit*, adeoque in formandis vocibus actio necessaria est, quae certas oris partes afficit.

§. 10.

Quid organon loquelae?

Illae oris partes, quae ad formandas voces aptae sunt, appellantur *Organa loquelae*: quorum numerantur quinque, de quibus plura inferius.

§. 11.

Sonus oris, seu vox exigit aperturam

Clauso guttore, experientia iudice, sonos nullos oris edere possumus: ergo ad quamlibet vocem formandam certa gut-

gutturis apertura necessaria est: Licet magno conatu labia, dentes, palatum, linguam denique moueas; Clauso tamen guttore nullus prodibit sonus, qui formandis vocibus sit accommodatus, irritus modo erit conatus et sine successu felici. Hinc solae actiones in organa loquelaе sine coniuncta apertura gutturis et ex hoc protruso sono minus sufficient ad formandas voces, adeoque *vel nudi soni simplices per certam gutturis aperturam determinati, vel iidem modificati, aucti, coniuncti cum certis actionibus in quaedam organa loquelaе perficiunt voces, aut saltem earum sunt partes.*

gutturis
vel
simplicem
vel auctam.

§. 12.

Sonus simplex per certam gutturis connexarumque partium aperturam determinatus, audit *Vocalis*; cuius per certas actiones in organon quoddam loquelaе modificatio, efficit *Consonam*. Sonus vero Vocalium compositus, nomine *Diphthongi* venit.

Quid
Vocalis,
Consona
et
Diphthongus.

SCHOL. Hanc esse determinatam Vocalium Confirmationem ideam, per quam Vocales ab omnibus reliquis sonis ore formatis, speciatim a Consonis distinguantur, certo credimus. Non enim horum vel illorum organorum ideam mentionem fecimus, quia alias Consonarum differentia vel plane nulla vel non satis accurata est constituta. Assumimus simplicem Vocalium sonum, qui per nullam

A 3

in

in quoddam praesertim loquellae organon actionem sit auctus, perinde enim est, num actionem, an motum dixeris, illa non sine hoc vnquam concipitur, vti ex aliis constat. Adiecimus porro, vt omnibus obuiam eamus dubiis, *connexarum partium*, quo genuinum illarum vndique sonum distincte exprimamus, mutuamque certarum Consonarum cum quibusdam Vocalibus conuenientiam, quam haud incongrue amorem nominaueris, intelligere queamus. Tandem non erit, vt quicquam contra illos moneamus, qui ex determinata tantum labiorum apertura Vocales declarare student, quum vel leuiter harum rerum peritus, erroris reos illos accusabit.

§. 13.

Quaenam
ex illis vocem
constituere
possint?

Hinc *vel vna vocalis, vel Diphthongus, vel vtraque cum vna vel pluribus Consonis* copulata, absoluere possunt Vocem (§. praec. et II.): Vna tamen ex hisce necessario adesse debet (§. 6. II.)

§. 14.

Quid
sonus articu-
latus
et
inarticulatus?

Sonus, qui variis determinationibus constat, *articulatus*: qui non constat iisdem, *inarticulatus* vocatur. Hinc *vox*, quae ex Vocalibus et Consonis, & inuicem excipientibus, componitur, est *articulata*, quae minus *inarticulata*.

§. 15.

Quando vox
inarticulata
fit?

Si et *vna tantum vocalis ad vnam sufficiat vocem* constituendam (§. praec.), da-

darentur voces inarticulatae, quarum tamen exiguus omnino esset numerus.

§. 16.

Vbi etymum *syllabae* sequimur, haec est comprehensio literae cum Vocali, quae definitio in lingua Hebraea locum habet. Quum igitur ad quamlibet vocem vna minimum requiratur syllaba, et in lingua Hebraea omnis syllaba sit articulata (§. 14.), omnes in illa Voces sunt articulatae. Aliae autem linguae syllabas quoque, minimum in scriptione, vna constantes vocali admittunt (per exper.): Vnde in aliis linguis, ratione scriptionis, esse possunt syllabae inarticulatae, per consequens et voces inarticulatae (§. praec.). *Vtrum vero sonus tam simplex, qui tantum sit vocalis, per hominis organa loquelae formari queat, de eo dubitandum videtur: quoniam nullus sonus ex gutture potest promanare sine protrusione, adeoque sine conatu et actione organorum loquelae, qua protrusio illa in actum traducitur; sed talis actio protrusiva soni constituit aliquam consonantium aspiratarum. Quapropter, si ex re ipsa pronunciare velimus, in omni lingua omnes syllabae, omnesque voces videntur esse articulatae.*

SCHOL. Ea, quae so praecedenti coniecturae instar proposuimus, iam erant scripta, quum Celebratissimi Philologi Altingii Fundamenta punctat. Linguae S. evolvere oc-

A 4

ca-

Quid
syllaba?

Num in omni
lingua
omnes syllabae
omnesque
voces sint
articulatae?



caſionem nanciſceremur, in quibus prae-
ter omnem ſpem atque opinionem mirum
conſenſum in nota §i 27. p. m. 28. cum hiſ-
ce deprehendimus. Integram illam notam
huc transferre placet. *Sola litera ſylla-
bam non facit, quia ſonum in ſe nullum
habet, ſed omni ſono ſeu Vocali indiffe-
renter conſonat, ſola quoque Vocalis id
non praestat, quia ne quidem inchoare
ſyllabam poteſt, ſed ſemper poſtulat, ſi
omnis alia litera deſit, ſaltem anteceden-
tem ſpiritum, aſperum vel lenem, quos
Graeci initialibus dictionum vocalibus ad-
ſcribunt, אָדָאָו, עֵבֶר: Hebraei autem
diſtinctas conſonas habent, ſonum non mi-
nus, quam Conſonantes aliae variantes.
e.g. אָדָאָו, Adam, הֶבֶר Hebel.*

§. 17.

Quid
totius vocis
conſideratio-
nem
praecedat?

In lingua Hebraea manifeſtum eſt, quod
quaelibet vox conſtet minimum vna
Conſona vnaque vocali, aliquando pluri-
bus quidem Conſonis: Vnde *Vocales at-
que Conſonae*, tanquam partes vocum,
prius erunt conſiderandae, quam ad Voces,
tanquam totum, *accedamus* (§. 12. 11.).

§. 18.

Vnde tam
innumera
vorum
multitudo?

Plures dantur Vocales, ſed multo plu-
res Conſonae (per exper.). *Ex varia
Vocalium cum Conſonis combinatione ori-
untur Voces omnem fere numerum ex-
cedentes: id quod pro tanta idearum
multitudine ſignificanda, opportunum eſt
maxime.*

§. 19.

§. 19.

Perpaucis omnino sonis ipsam obiecti
essentiam exprimere valemus (per ex-
per.): hinc voces perpaucas inter signa
essentialia referenda esse liquet; atque
sic ad hancce ideam modo hic sonus,
modo alius, modo haec vox, modo alia
pro hominum plerumque arbitrio adhi-
betur, adeoque *voces sunt signa idearum
plerumque arbitraria.*

Voces sunt
signa
cogitationum
arbitraria.

SCHOL. Optandum esset, *ut quaelibet ideae
diuersae signis et terminis diuersis mani-
festentur: dein ut sub eodem termino
omnes eandem cogitent ideam, id quod
omnem orationis obscuritatem atque diffi-
cultatem tolleret; hinc perspicuum est, in-
quit Vir magni nominis, linguarum cogni-
tionem eo tantum utilem esse, quod eae di-
uersae sint: sin vna toto orbe in usu esset,
nihil vanius fore.*

monitum

§. 20.

Complexus vocum, ad ideas significan-
das constitutarum, dicitur *lingua*, obiecti-
ue talis.

Quid
lingua obiect.
talis.

§. 21.

Vna idea ab hacce gente hoc, ab alia
alio indicatur termino (per exper.). *Quot
igitur fere gentes diuersae, tot linguae.*

Dantur earum
multae.

SCHOL. Sufficit, vbi differunt soni quamplu-
rimi, qui eandem ideam indicant; quanta
vero sit differentia, non attenditur.

§. 22.

Non vnum modo obiectum menti se-
A 5

Propter
plures ideas

se

connexas
plures termini
inuicem
combinati
sunt
necessarii.

se nostrae offert; *plura* semper, *aeque* plurimam partem certo inuicem ordine *coniuncta*. Eadem quoque est idearum ratio, *plures* *ideae*, *aeque* haud raro *connexae*, in anima deprehenduntur, quas nonnunquam cum aliis communicari, e re nostra est: *plures* igitur *necessarii* sunt *termini*, *ique* certo inter se nexu *copulati*.

§. 23.

Quid sermo.

Actum quo per terminos cogitationes nostras significamus, dicimus *sermonem*.

§. 24.

Ad quodnam
circa illum
praecipue
respicendum?

Ea proinde, *quae de vocibus sigillatim perspeximus*, ad *sermonem* satis apposite *applicare* poterimus (§. praec.): *attendamus* vero *praecipue* ad ea, *quae ex nexu plurium terminorum*, qui ad *sermonem* *praecipue* necessarius est (§. 22. & 23.), *concludere licet*.

§. 25.

Quaenam ille,
qui
sermonem
in
aliqua lingua
struere
velit,
obseruare
debeat.

Eadem idea a diuersis gentibus diuerso saepe indigitatur termino (§. 21.): Vnde diuersae prodeunt linguae (§. 16.). Neque minus vna gens suos terminos hoc connectit ordine, quando haecce iudicia exprimere, huncce *sermonem* struere vult; alia alio rursus modo: quapropter *sermonem in aliqua instituens lingua*, *calleet terminos illius linguae*, *calleet modum disponendi illos terminos*, quando illi linguae conuenienter hanc idearum *seriem*

riem indicare vult; alias sine suo excidet atque nemo eum intelliget.

§. 26.

Qui dexteritatem formandi sermonem possidet, is linguam loqui nouit, seu gnarus est linguae, atque alii eiusdem linguae gnari eum intelligere possunt: vnde *lingua* subiectiue talis est habitus sermonem formandi intelligibilem.

Quid
lingua sub-
iectiue
talis?

§. 27.

Quum facili omnino negotio fieri queat, vt sermonem struens ex ignorantia linguae modo in formandis terminis, modo in iisdem linguae conformiter disponendis a consuetudine deflectat. Quo quidem casu ei, cuius interest, certam minusque erroneam structurae sermonis et linguae cognitionem acquirere, necessarium censemus viae ducem, qui dirigat eum, vt sine errore metam attingat; Illud vero, quod actiones dirigit, vocatur *norma* seu *regula*: *regulae* igitur *adhibendae* sunt, *quas in legitima terminorum formatione, atque in legitima eorundem dispositione obseruet sermonem recte formaturus.*

Sermonem
recte
formaturo
regulae sunt
necessariae.

§. 28.

In lingua seu sermone occurrunt, tum quae ad formandos terminos, tum quae ad eosdem disponendos spectant (§. praec. & 26.): hinc vna lingua, quae differt ab

Quid genium
et
idiotismos
linguae
absoluat?

alte-

altera, aut in vocibus et terminis, aut in modo hosce terminos combinandi, si hanc idearum seriem exprimere satagimus, aut in vtrisque, diuersa exhibere debet. Peculiaris terminorum formatio et peculiaris modus illos combinandi seu construendi absoluit *genium linguae*; vti peculiaris constructio terminorum in lingua, *idiotismi* eiusdem appellari sueuerunt.

§. 29.

Vtriusque
cognitione
sermonem
formaturus
instructus sit.

Quaelibet lingua suum agnoscit genium, suos idiotismos (§. praec.): qui unum vel alterum horum ignorat, minus legitimum formare potest sermonem (§. praec. et 27.), neque linguam callet (§. 26.).

Monita.

Quaenam
illorum
officia,
qui
versiones
curant.

SCHOL. Quam turpiter illi errent, qui postquam primas gustarunt linguae lineas, formationem terminorum puto, satis habere autumant, et quibus adeo nulla addiscendorum idiotismorum cura est, ex iis, quae dicta sunt, patet. Alia tamen se sponte adhuc affert *obseruatio*, quae illos ferit, qui unam linguam in aliam translaturi, ignotam per notiores interpretari cupiunt. Cuicumque id datum est negotii, ille vtramque linguam, eam scilicet quam in aliam transferre, et hanc, qua illam interpretari cupit, accurate calleat. Hac, ni fallor, ratione: *Studeat primo indagare, quas cogitationes hisce terminis et hac terminorum dispositione auctor, in sua lingua exprimat*: quibus inuentis, deinde *circumspiciat, quibus terminis et quae eorum*

con-

connexione istae cogitationes efferrī soleant in ea lingua, in quam fieri debet versio, atque hisce terminis et structura terminorum cogitationes illas exprimat. Quo facto, illius versio ex hac parte vitio laborabit nullo. Ea igitur versio, quae ita instituitur, ut cuilibet termino linguae vertendae substituamus alium, qui in lingua altera, in quam fit versio, plerumque illum explicare solet, ut porro eodem ordine hos terminos collocemus, adeo manca ac contra omnem sermonis naturam est, ut nisi singulare eam postulet propositum, auctoris sui ignorantiam magis prodat, quam eius in vertendo peritiam laudet. Quod suo calculo adprobat ingeniosissimus Neumannus, qui in *Genesi* L. S. C. II. p. 18. in interpretandis, inquit, *Hebraeorum* vocabulis aliud est Grammaticae significationis literalis seu Etymologica determinatio, aliud pro linguae vertentis indigentia commode instituenda expressio. Nempe communis haec est difficultas, quam omnes omnino linguarum interpretationes patiuntur. Quascunque enim elegeris linguas, nunquam inuenies voces in vna, vocibus alterius, singulas singulis quoad significationum latitudinem adaequate semper respondentes, sed quod in hoc unico vocabulo bene dicitur, in alia non nisi diuersis exprimi potest.

§. 30.

Ad id vero, ut pro idiotismo linguae aliquid habeamus, necesse est, probemus
 I) ut iam adsit series idearum inuicem connexarum, per plures terminos inter se
 con-

Quaenam
 versiones
 minus
 accuratae?

Requisita
 veri
 idiotismi.

constructos exprimenda : 2) *ut modum caleamus, quo eadem in aliis linguis per plures terminos certo inuicem modo combinatos tradatur.* 3) *Ut is modus construendi voces ad hanc idearum seriem significandam, qui in hac lingua reperitur, in aliis, CUM QVIBVS COMPARATUR, minus sit vsitatus.*

Ratio
ob quam
haec
idiotismi
requisita enu-
meramus.

SCHOL. 1. *Omni iure dico, cum quibus comparatur* : Omnium enim linguarum cognitione pollere nostrum non est, quibus arctae sunt cognitionis limites. Sufficit, ubi comparisonem instituimus cum linguis, quae vsitatae sunt in orbe literario.

SCHOL. 2. *Eum in finem criteria idiotismorum collegimus, ne numerus idiotismorum linguae alicuius nimium augeatur.* Sic, hisce obseruatis, idiotismi linguae Hebraeae paucis omnino comprehendere possent paginis. Si locus hic foret, *ex idea idiotismorum possemus demonstrare, quotuplices dentur idiotismi in qualibet lingua, nec minus, quinam ordo in eorum dispositione seruari debeat* : sed alia occasione haec ulterius prosequemur.

§. 31.

Quid
Etymologia
et
Syntaxis?

Ne modum formandi terminos alii linguae proprium, ne modum illas construendi alienum adhibeamus in nostra lingua, ideo regulae fuerunt necessariae, pro cuiuslibet linguae indole constituendae (§. 27.). Regulas ad rite formandos terminos comparatas, vocant *Etymologicas* ; ad illos recte construendos, *Syntacticas* :

eticas : quarum complexus perficit Etymologiam et Syntaxin.

SCHOL. Nulla eget noua probatione, sermonis purioris studiosum vtramque artem sibi reddere familiarem debere. Nam licet non sit negandum, quemlibet lingua vntem easdem obseruare regulas : non dispar tamen ratio hic est ab ea, qua Logices regulas imitatur tum naturali tantum instructus, tum artificiali ornatus. Ille scilicet, qui ex confusa regularum cognitione lingua vtitur, appellari poterit *linguae gnarus* ; quum econtrario alter, qui ex distincta regularum, ad sermonis structuram conditarum, cognitione vtitur iisdem, *linguae peritus et sciens*, vocari meretur. Linguae gnarum ab erroribus se vix immunem praestabit, quos tamen scopulos linguae peritus sine offensione euitare fatagit.

§. 32.

Terminos applicamus, vbi per eos mentem explicare et volumus et possumus (§. 7.) Sonos mox euanescere ac certa tantum distantia ad aures nostras penetrare, experientia confirmat. Nostra tamen non parum refert, vt et distitis atque absentibus cogitationes significemus et flagrantia pectoris desideria consecremus. Si nullum suppeteret miro huic colloquio medium, dimidiam certe splendoris sui sermo amitteret partem. Qui sermo inter disiunctos locorum interuallo vt obtineatur, *cares* velim,

Quid
linguae gnarus
et
linguae peritus.

Quomodo
cum
absentibus
cogitationes
communicari
queunt ?

lim, vt et absentis menti obuersentur hi soni: tunc easdem ideas seu cogitationes, quas tu, habebit, seu te intelliget. At enim vero si exhibeas signa sonorum; illis cognitis, hi praesto erunt menti. Res igitur omnis eo redit, vt signa essentialia, si fieri potest: sin minus, accidentalia sonorum constituentur. Qualia quoque prostant ex eodem fundamento, quo supra §. 19. de sonis id efficimus.

SCHOL. Palmaria organa sensoria duplici huic negotio palmarium praestant officium. Aures easque ad audiendam satis aptas praesens, vt alterum intelligat, arrigat: Oculorum acie absens sit instructus. Laterem lauares, vbi surdo per voces aliquid narrare: coeco per tabulas scriptas significare quidquam velis.

§. 33.

Quid
scribere
scriptio
et
scriptum.

Ductus elegerunt in extenso formatos pro signis sonorum, et qui talia format sonorum signa, *scribere*, et haec ductuum formatio *scriptio* dicitur, ductusque sic formati *scriptura* audiunt.

SCHOL. De scriptura hic loquimur ordinaria, quae immediate sonos et mediantibus sonis cogitationes indicat. Dari autem posse scripturam minus consuetam, quae immediate cogitationes significat, signa cogitationum, Sinensibus vsitata, confirmant. conf. Illustr. BILFINGERVM in *specimine doctrinae Veterum Sinarum* p. 312.

§. 34

§. 34.

Hinc scriptio eleganter et sermōni et linguæ inseruit, adeo *ut eam nullus linguæ gnarus, multo minus peritus ignorare debeat* (§. præc. et 32.).

Linguam quomodocunque callens, scriptione carere nequit.

§. 35.

In scriptione hac ordinaria constituuntur signa sonorum (§. 33.), *adeoque sonus semper ante cognitus esse debet, quam scribi poterit.* Porro scriptio nullam mutationem in formandis, nullam in construendis vocibus producit, sed modo exprimit ea omnia, quæ per sonos producuntur (ibid.).

Vera scriptionis conditio.

§. 36.

Aliquot ideae, in mente aliquoties combinatae, sibi associantur, ut, vna producta, altera recurat, quemadmodum associatio idearum seu lex imaginationis probat. Quodsi ergo soni quidam coniunguntur saepius cum ideis significandis; sonorum ideae, productae in mente, excitant quoque ideas rerum, quas significare debent. Sic quoque signa sonorum, per scripturam formata, eodem modo associare sibi possunt in mente hominum ideas sonorum seu eas reproducere. Quapropter *per scripturam hanc ordinariam sonos, per sonos res significatas menti possumus obicere.* Quum igitur

Kochii Gram. Hebr. B. scri-

Vfus scriptionis domesticus.

scriptura per longum temporis spatium perdurare queat seu *litera scripta maneat*: magna hinc adparet in conseruandis cogitationibus utilitas scripturae; quae auro gemmisque contra pretiosior.

SCHOL. Illustr. Heineccius I. N. G. C. VII. §. CLXXX. in not. p. 153: scriptionem, ait, stupendum esse *ἐύγραφα*, vt quidam id ipsi Deo tribuere non dubitent.

§. 37.

Signa
Vocalium
et
Consonarum
necessaria.

Quot soni diuersi in terminis esse poterunt, tot diuersa eorum signa sunt constituenda (§. 55. et 33.); hinc *signa Vocalium, signa Consonarum sunt necessaria* (§. 33. et 17.).

SCHOL. Quicquid non est in sonis, id suo iure nec in scriptione esse debet; vbi contrarium admittitur, ibi imperfecta ac difficilis omnino scriptio euadit, e. g. Gallorum. Facillima et accurata scriptio nec plura nec pauciora exhibet signa, quam soni adsunt.

§. 38.

Eodem modo,
quo vocales
et
consonae
in vocibus
disponenda.

Quocunque ordine soni Vocalium et Consonarum in vocibus sunt dispositi, *eodem signa Vocalium et Consonarum in earum scriptione coordinata esse debent* (§. 33.).

§. 39.

Quaenam
scriptio recta,
quaenam
erronea.

Hinc eam scriptionem vocare possumus veram rectamque, in qua 1) *signa ordinaria*. 2) *eodem modo coordinata, quo so-*

ni dispositi sunt, apparent. Hinc et duplex error in scriptione deprehenditur
1) in signis falsis. 2) in falsa horum signorum dispositione.

§. 40.

Haec mouent nos, vt accuratori artis scribendi cultori commendemus regulas, quibus obseruatis sine errore suo fungatur officio (§. praec. et 27.).

Quid ad rite scribendum, necessarium fit?

§. 41.

Regulae, quae dirigere nos debent in scribendo, dicuntur *Orthographicae*: quarum complexus perficit *Orthographiam*, quae linguae gnaro non minus, quam perito commendanda (§. 31. schol.).

Quid Orthographia?

SCHOL. Duplicis igitur generis sunt vitia orthographica (§. 39.). Alii ductus illos nitida arte student exarare, quos *Calligraphiae* operam dare dicimus.

Quid Calligraphiae?

§. 42.

Haec fere omnia erunt, quae in lingua formanda sese offerunt. Regulas omnes ad recte formandam linguam, completitur *Grammatica*. Quae dicitur *philosophica*, si regulae, quantum fieri potest, demonstrantur. *Vulgaris*, si regulae tantummodo proponuntur sine demonstratione: *Vniuersalis*, si ea, quae omnes linguae habent communia, tractat.

Quid Grammatica, philosophica, vulgaris, vniuersalis.

§. 43.

Quod
Grammatica
fit totum,
et
quaenam
eius partes.

Vnum, quod idem est cum multis, vocatur *totum*, et plura illa, *partes*. Grammatica constituitur per omnes regulas, quae ad linguam formandam requiruntur (§. praec.): hinc *grammatica totum est*, et regulae sunt eius *partes*, siue *Etymologia* (§. 31.), *syntaxis* (ibid.), *Orthographia* (§. 41.)

SCHOL. 1. Quartam partem *profodiam* scilicet alii addunt, quae mensuram syllabarum, et modum concinnandi metro alligatos sermones, docet et tradit, vti Acutissimus Canzius in Grammat. Vniuers. p. 19. eam definit, quam ideo non attigimus, quia usum eiusdem in lingua Hebraea magni minus ponderis esse credimus.

SCHOL. 2. Quo ordine hae partes se inuicem excipere debeant, nunc perlustremus.

§. 44.

Quo
ordine sese
hae partes
excipere
debeant.

Is est naturae ordo, vt ea, quae principia sunt aliorum, his praemittantur. Syntaxis proponit regulas ad terminos linguae conformiter construendos (§. 31.). Quomodo vero termini poterunt constitui, nisi antea sint formati? Hanc vero artem sibi vindicat Etymologia (§. 31.), haec igitur Syntaxi est praemittenda. Orthographia legitimam docet scriptionem: Scriptione autem necessario accommodari debet vocum literarumque sonis; hinc for-

formatio vocum antea est instituenda, et Orthographia post Etymologiam seorsim aut vna cum illa tractari potest. Singularum vero vocum signa constituere haud contradicit, neque scriptio quadam indiget terminorum dispositione. Ex data hac Theoria, *Etymologia primum, Orthographia medium, vltimum Syntaxis locum occupat.*

SCHOL. 1. Ipsa constructionis, quam regulae Syntacticae monstrant, dignitas, *supremum* quidem *locum mereretur in rationis cultura*; sed *vtimum* merito, *ubi teneram linguas addiscentium aetatem respicimus*, in qua feruidior imaginatio, diuina interdum comite memoria, rara tamen iudicii, acuminisque rationis vestigia conspiciuntur.

Observatio
Syntaxeos
locum
spectans.

SCHOL. 2. Quum ea, quae ad linguam Hebraeam addiscendam spectant, toto nostro libro prosequi mens sit: ea vtiliter praemittuntur, quae completum dein magis omnium fere doctrinarum sistunt conspectum.

§. 45.

Dexteritatem formandi linguam acquirere, est eam *addiscere*.

Addiscere
linguam quid?

§. 46.

Quaecunque haecenus exposuimus, eo spectant, vt is, qui dexteritatem formandi sermonem et linguam sibi studet acquirere, iis carere non possit: Hinc et ille, qui linguam addiscere studet, ea probe obseruet (§. praec.).

Cuncta,
quae
habuimus,
linguam ad-
discens,
obseruet.

B 3

SCHOL.

SCHOL. Si per artem id fieri debeat, Grammatices praecepta necessaria sunt, ex usu tamen seu ex imitatione aliorum poterit quoque lingua addisci.

§. 47.

Quid lingua
vernacula
et
peregrina.

Lingua vocatur *vernacula*, quam ante discimus, quam ullam aliam: *Peregrina*, quam post hanc primam capimus.

§. 48.

Linguae
Hebraeae
praerogativa.

Lingua Hebraea complectitur omnes terminos, terminorumque structuras seu phrasas, quibus Hebraei cogitationes suas significare debuerunt. De illa multa omnino in medium proferre peculiaris, quibus prae ceteris splendet, facile possemus: sed eruditissimi inter Philologos haec integris iam quidem voluminibus comprehenderunt, ut hoc labore superfedere queamus.

SCHOL. Inter ea eminent

1) Antiquitas.

1) *Antiquitas*, quae vel ex eo patet, quod Hebraeorum linguam esse matrem et antiquissimam linguarum omnium seu primaeuam inter mortales, praestantissimi Philologi passim, quidam ex instituto probant e. g. *Steph. Morinus* Exercitat. de Lingua primaeua: it. summe Reu. *Val. Ern. Loescherus*, *Decus illud Saxoniae*, in *Causis Linguae Hebraeae* C. I. II. III. plures ubi desideras, magni huius Viri euoluas l. c. C. II. §. III. p. 13.

2) Breuitas.

2) *Breuitas*, quae inde enascitur, quod non tam multi Hebraeis ad omnes ideas earum.

rumque affectiones significandas prostant termini. Quantam vero illa interpretibus creet difficultatem, iam omnium optime illis constat, qui seria fronte manum admouerunt interpretandis Hebraeorum scriptis: *Neque tamen per illam vlla ei ad iudicari debet ambiguitas*, quam Lexicographi fere nobis suadere videntur, vbi vnam radicem duodecim et interdum plane contrarios agnoscere significatus, per tot appositos linguae peregrinae terminos putant. Quomodo autem *per formalem seu generalem significatum* apparens haec ambiguitas tolli possit, multi non ostenderunt solum, sed et exemplis confirmarunt. Quo de negotio Autores sane egerunt multi, Bohlius, Guffetius, Corceius, Neumannus, cuius passim in Genesi L. S. praesertim C. II. dicta ita *εὐφραίνῃ* exstant, vt plus simplici vice perlegi mereatur totum illud caput.

Nec vltimum inter ea, quae Hebraeorum prae aliis linguis propria dicuntur praerogatiua illud est, quod de *perfectioe eius* multi hinc inde proferunt. Linguam philosophicam reliquis omnibus palmam praeripere, aliunde constat, hanc tamen nullibi deprehendimus, nec Linguam Hebraeam tali condecorari nomine posse, contra Neumannum solidis pro more suo argumentis vindicauit *Celeberrimus Reuschius*, Patronus, praeceptor ac hospes pia mente ad cineres vsque deuenerandus in Dyade Philologica 1718. 4. Ast, si a paucis recedamus, perfectionem linguae Hebraeae propriam non eo sensu statuunt, quo deductis ex idea ac fine linguae per-

Nulla
per eam
ambiguitas
L. H.
conciliatur.

3) perfectio.

B 4

fectis-

Nostra
sententia.

4) sanctitas
eiusque
generis
plura.

Lingua
Hebraea
est peregrina.

Vti
peregrina
quoque
addiscenda.

fectissimae criteriis, ea ad linguam, quam perfectissimam vocant, applicentur; Sed ob excelsam Hebraeae linguae originem aliaque ei principem locum tribuunt. Vbi breuibus nostram mentem explicare licet, hunc ducimus calculum: *Regulis perfectae linguae omnibus nulla plane lingua respondet, sed haec in hisce, alia in aliis consensum testatur, in omnibus tamen linguis quaedam conspiciuntur regulis contraria, in una licet plura quam in altera*: qua consideratione maior vnus linguae prae altera exurgit perfectio. Lingua Hebraea, licet non omnibus numeris absoluta, in scriptione tamen tot perfecta ostendit specimina, quot nulla fere alia, quae ex sequentibus clariora patebunt. Alia sunt, quae de sanctitate, castitate, sapientia, laudibusque L. H. celebratissimi Philologorum praedicant, quorum nomina legi poterunt, apud *Loescherum* l. c. L. III. c. 4. ac in *Christ. Wolfii*, Viri dum viueret, in Hebraeorum re litteraria verfatissimi, Bibliothecae Hebr. P. II. p. 621.

§. 49.

Linguam Hebraeam paucis hominibus esse vernaculam, *quamplurimis peregrinam*, inter omnes constat.

§. 50.

Eadem igitur, qua omnes linguae peregrinae addiscuntur, ratione addiscenda (§. praec. et 45.).

SCHOL. Quomodo id fieri debeat, Logices et Metaphysices praecepta docent.

§. 51.

§. 51.

Vbi ope sonorum seu terminorum cogitationes nostras significamus *loqui* dicimur. Vbi vero mediante scriptione sermonem formamus, *ibi legimus*.

Quando loqui
et legere
dicimur.

§. 52.

Lingua, quam gens loquitur, *viua* vocatur, quam minus *mortua*.

Quid
lingua viua,
et
mortua?

SCHOL. De illa affirmamus, quod sit in usu, ideoque ex usu et addisci poterit: haec vero alia ut plurimum ratione erit comprehendenda, uti sequentia declarabunt.

§. 53.

Linguam Hebraeam nulla omnino gens integra loquitur: hinc *inter mortuas* ex hac parte *referenda*.

Lingua
Hebraea est
mortua.

SCHOL. Nec Iudaei, vbi pro integra illos gente habeas, castam hancce retinere linguam. vid. Histor. Linguae Hebraeae a *Summe Vener. Loescher* in *Causis L.H.* c. VI. VII. concinno nexu enarratam.

§. 54.

Linguam peregrinam viuam eadem via, qua vernaculam ex usu addisci posse, constat. Longe aliter calculum ducere nostrum debemus, vbi lingua peregrina eaque mortua est excolenda. Audiendo ex aliis sonos, cum obiectis coniunctos,

Qua via
lingua
peregrina
viua,
et mortua
ordinarie
addiscatur?

ctos, nomina obiectorum sibi imprimere haud licet ORDINARIE (§. 51.). Lingua illa, cuius viuo frui commercio non possumus, aut in scriptis viuit, aut hac qualicumque etiam vita est orbata: hanc reputamus pro deperdita; illam vero *ex scriptione*, adeoque *per lectionem* (§. 50.) *sibi reddere cognitam*, totius negotii ratio *exigit* ORDINARIE.

§. 55.

Quaenam
in addiscenda
lingua
mortua
figillatim
notanda sint.

Lingua mortua ope scriptionis addiscitur ORDINARIE. Hinc noscamus oportet, quinam soni respondeant signis. Et quum composita simplicioribus non commode praemittantur: *signa Vocalium atque Consonarum primum seligas*; ope horum signorum formes sonos, quo *sine soni signis addendi*; cognitis singulorum signorum Vocalium et Consonantium sonis, *attendas ad modum, quo combinantur et disponuntur, seu formes syllabas*: hasce, si plures ad vnum terminum constituendum concurrunt, iterum vna colligas, *donec integra formetur Vox*. Sono totius vocis perspecto *significatus eius est eruendus*, pro cuius conditione plures possunt termini connecti, vt tota hinc prodeat Oratio; quocirca idiotismi et genus linguae bene sunt notandi. Tandem hac ratione habitus concilietur sermonem formandi seu lingua addiscatur.

§. 56.

§. 56.

Lingua Hebraea est lingua mortua (§. 52.), *atque in Codice S. aliisque scriptis deprehenditur* (per exper.) Et quum summum Numen suam hominibus in hac lingua ex parte reuelauerit voluntatem, quam ut quilibet cognoscat salutis nostrae dignitas exigit; illorum, qui mysteriorum Dei sacerdotes ac mandatorum eius praecones esse volunt, insignis patet obligatio, ad eam non proletaria ac superficialia opera, sed accurate addiscendam. Unde regulas, quae nos ad recte formandam linguam Hebraeam dirigunt, solide sciat, quas quidem complectitur *Grammatica Hebraea*. Haec igitur *contingere debet* 1) *omnes partes, quae Grammaticam in genere constituunt*, quas (vid. §. 43.) 2) *Ea, quae ex lingua Hebraea speciatim concipiuntur*, adeoque ea, quae §o praeced. de addiscenda lingua mortua docuimus.

Haec
in addiscenda
lingua
Hebraea
speciatim
valent,

Argumenta
Grammatices
Hebraeae,



GRAM-

GRAMMATICES HEBRAEAE

PARS II.

DE EIS, QVAE CIRCA HE-
BRAEORVM TERMINOS, QVATE-
NVS AD EORVM SIGNIFICATVM RE-
SPICITVR, NOTARI MERENTVR

SEV

DE PARTIBVS ORATIONIS.

CAP. I.

DE NOMINIBVS.

§. 306.

Mentis nostrae mutationes conformantur
rebus illis, extra nos positis, in mundo
diuersis. Hae variae igitur res sunt obiecta
perceptionum, cogitationum ac idearum no-
strarum. *Quot diuersae ipsarum rerum clas-
ses, tot et idearum dantur, Termini signifi-
care modo debent ideas* (§. 7.), hasce per
illos exprimimus, et series plurium talium ter-
minorum, qui iudicia nostra inter se connexa
seu ideas illarum rerum, quas percepimus, ex-
primunt, audit *Oratio.*

Qua via
hancce gene-
ratim doctri-
nam decla-
rabimus.

Quid oratio.

§. 307.

*Quot igitur diuersae idearum species, seu
classes, tot sunt terminorum, nec plures, neque
pauciores : et quum oratio ex iis tantum con-*

Quot rerum,
et idearum
classes tot ter-
minorum.

R 4

stet ;